

simirianum a conditore suo dictum, in sempiternam nominis sui gloriam, diuinis auspiciis, condidit; singulari Dei consilio & providentia illustri huic scholae praeclari semper & omni liberali doctrina politissimi doctores atque Professores contigerunt. In quibus quum non infimum locum PHILIPPVS THEODORVS VERPOORTENNIVS sibi vindicet, iis quippe praecipuo quodam suo iure annumerandus, quos perfecta sua eruditione, maxima dexteritate, indefessa diligentia, nec fucata pietate immortaliter de Gymnasio Casimiriano meritos esse nouimus; breue ipsius, sed laude dignissimum vitae curriculum paucis exponere, faustamque beati viri memoriam conseruare, mei officii ac potius pietatis erga praeceptorem, optime prae aliis multis de me promeritum, esse putauit.

II.

Coburgi, celebri Franciæ orientalis, si situm ejus spectes, urbe, hanc lucem adspexit tertio Idus Februarii anni Christi CIO IO C LXXVII. patre natus celeberrimi nominis Theologo, D. WILHELMO VERPOORTENNIO, t. t. Superintendente Generali Coburgensi, Consistorii Ducalis Assessore, Pastore Mauritiano Pri-